

sima pródiit: videntibusque cunctis et audiéntibus, Ildephónsi mérita de Vírgine María commendávit, dicens: O Ildephónse, per te vivit Dómina mea, quæ cæli cúlmina tenet. Et Præsule collaudáto redíbat. Ildephónsus, ne res sine téstibus tanta pósteris referrétur, arrépto Recesvínthi regis, qui forte tunc áderat, gladiolo, veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebátur, resécuit, eámque cum régio simul cultro célebri pompa in sacrárium intulit, ubi usque hódie servátur. Scripsit multa luculentíori sermóne, quorum, váriis molestiárum occupatióibus impeditus, áliqua cœpta, áliqua semipléna reliquit. Obiit tandem divus Ildephónsus feliciter ac sancte, cum sedisset in episcopátu annos novem, menses duos: sepultusque est in basilica Leocádiæ circa annum Dómini sexcentésimum septuagésimum séptimum, Recesvíntho in Hispánia regnante. Cujus corpus in generáli a Saracénis Hispaniárum occupatióne in civitátem Zamorénsensem translátum est:

et in ecclésia beáti Petri honorífice quiéscens, magna illius pópuli religióne cólitur.

℞. Iste est. [78]

In iij. Nocturno, Homilia. Osténdit Dóminus de Comm. Doct. j. loco. [93]

℞. vij. Sint lumbi. [81]

DIE XXVIII. JANUARI.

S. Juliani

Episc. Conf. Semiduplex. Omnia de Comm. Conf. Pontificis [70] præter sequentia.

Oratio.

EXcita, quæsumus Dómine, in pópulo tuo spíritum caritátis, quo beátum Juliánum Confessórem tuum atque Pontíficem replére dignátus es: et concéde, ut cujus festivitátem celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Comm. S. Agnetis. 649.

In j. Nocturno, Lectio-nes de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Uliánus, Ecclésiæ Conchénsis Episcopus, Burgis piis et honestis paréntibus natus est. Ejus ortum præclára illius sanctitátis et

Lectio b.

episcopális dignitátis signa divinitus data nobilitárunť. Nam ádeo formósus et pulcher in lucem éditus est, ut omnes intuéntes os ejus, cœlesti quodam fulgóre perfúsum admiraréntur. Multo magis vero, cum puer grándior palam super fontem baptismálem tándiu visus est mitra et báculo episcopálibus insignibus ornátus, dum astántes admónuit, ut infánti Juliáni nomen impónerent. Póstea pie sanctéque educátus, liberalibusque disciplinis appríme eruditus, theológiæ óperam dedit, in qua plúrimum profécit. Itaque probátæ vitæ exémpló, et divíni verbi prædicatióne toti Hispániæ mirándum in modum profúit. Archidiaconi dignitáte in Ecclésia Toletána ornátus, ab Alphónso deinceps nono Castellæ rege episcopále munus suscipere coactus est, quod summa cum laude obívit.

℞. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℞. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Vere pater páuperum fuit: quippe qui egéntium, viduárum et pupillórum inópiam pecúnia, et áliis pietátis officiis sublevávit. Réditus ecclésiæ suæ tum sublevándis miseris, tum instaurándis ornandisque templis insúmpsit: ipse tenui victu contentus, quem labóre mánuum suárum comparábat. In oratióne assiduus erat: cujus vi, patérna caritáte ardens, multa et magna pro salúte pópuli a Deo impetrávit. Quorum illa in primis illústria: cum aliquándo tota província rei frumentáriæ laboráret inópia, nec quidquam ámplius in episcopátus hórreis superésset, pópuli calamitátem miserátus, preces cum lácrymis ad Deum fudit. Tunc plúrimum trítici ad ædes sancti Episcopi a permúltis juméntis comportátum est, quæ depósito ónere evanuérent. Cumque item dira in pópulum lues grassarétur, sancti Episcopi oratióne sedáta est. Multos quoque, váriis insaniábiliú morborum generibus affectos, in sanitátem restítuit.

R. Pósui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vij.

Super gregem suum tamquam bonus et sedulus pastor diligentissime vigilavit : lupos arcens ab ovibus, et oves pascens verbo vitæ, cibum cuique tribuens pro captu congruentem. Corpus suum jejuniis assidue castigans, seipsum bonorum operum exemplar omnibus præbuit. Denique, cum annos fere octoginta maxima cum sanctitate vixisset, plenus dierum atque virtutum, in senectute bona migravit ad Dominum, quinto Kalendas Februarii, anno millésimo ducentésimo octavo, et honorifice in ecclesia sua sepultus, post mortem quoque miraculorum gloria clarus, magna populi veneratione colitur. Anno postmodum millésimo quingentésimo decimo octavo, Leone decimo Pontifice máximo, corpus ejus e sacello, ubi multos jacuerat annos,

effossum, ad locum prope aram maximam magnifice exornatum, tertio Idus Aprilis solèmi pompa ac maxima celebritate translatum est. Commemorationis ejus quoque festivitas Nonis Septembris, ex Julii tertii summi Pontificis concessione recolitur.

R. Iste est. [78]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. vj. c

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.

Serm. viij. de jejunio et eleemosyna, circa med.

Thesaurus cœli est manus pauperis : quod suscipit, ne in terra pereat; et repõnit in cœlum. Manus pauperis est gazophilacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus accipiat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cœlum: da nummum, ut accipias regnum: da pauperi, ut des tibi : quidquid pauperi de-

deris, tu habebis : quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus : Misericordiam volo. Qui, quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi: humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vij.

Dicturus causam in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiae certus est, de venia sit securus, de absolutioe non dubitet. Misericordia non solum causam prævenit, anticipat cognitorem; sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Nini vitæ probant, quos jam sententiæ subiectos, pœnæ traditos, ad victimam stantes, morti deditos, mi-

sericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit, ut maluerit Deus deduci sententiam, ne misericordiae quid negaret. Fratres, per misericordias pauperum misericordiam parémus, ut possimus esse de pœna liberi, de salute securi. Beati, inquit, misericordes, quia ipsi misericordiam consequuntur. Gratis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericordiam.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Ioria. Et.

Lectio ix. de S. Agnete Virgine et Mart. 649. et Comm. ejusdem in Laud.

DIE III. FEBRUARII.

S. Blasii

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. [29] præter seq.

Oratio.

Deus, qui beatum Blasium Martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et

in aliórum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti : concéde propítius; ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv. Blásius. ut in Breviario eadem die. 668.

Lectiones v. et vj. Principes persecúti. de eodem Communi ij. loco [44] cum R. v. et vj.

Ubi vero sunt concessæ, leguntur ut infra.

Lectio Iii.

Blásius Cappadox nóbili génere ortus, Sebáste in Cappadócia, ex médico Episcopus créatus est, ut córporum curatióni animárum cura succéderet. Huic múnere cum sédulam ac piam óperam naváret, dira tempésta in Christiános a Licínio tyránno excitáta fuit. Blásius divino instíntu, Christi consilio et exémplo in montem Argæum se recépit, ac sese in spelúncam ábdidit, in qua rerum divinárum contemplatióni vacans, ab ipsiferis, natívæ feritátis

oblítis, quotidianum victum accépit, et multis obséquiis cultus est.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. *V.* Descénditque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

IBI támdiu látuit, donec ab Agricolái præsidis militibus casu deprehensus, inde abstráctus, et ad præsidem ductus, illius jussu in víncula conjéctus est. Sed vinctus ipse multos, quos ejus sanctimóniæ fama accíverat, a diversórum morbórum vínculis liberávit. In his puer fuit, qui desperáta a médicis salúte, transversa spina fáucibus inhærente, ánimam agébat. Illústris sane tum córporum, tum animárum médicus, non humana, sed divína arte; non parátis a natúra remédiis, sed Christi grátia comparátis, ægros prístinæ salúti restituit. Omni fere miraculórum génere conspicuus; nam Christi super aquas ambulántis, et Eliæ Sareptánæ víduæ

annonam multiplicántis miracula renovávit.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus coronam de lápide pretiósó. — Et.

Lectio vj.

ATrocíssimis torméntis crudelíssimi præsidis jussu cruciátus fuit : duris verbéribus cæsus, tortus in equúleo, pectínibus férreis dilaniátus, candénti lorica indútus, aliisque exquisitíssimis supplicíis affectus est. Sed ejus fides probári quidem pótuit, non tamen vinci. Dilaceráto corpore infráctus ánimus réstitit. Tandem, victo tyránno, cápite plexus, illústre fidei testimónium Ecclésiæ reliquit, tertio Nonas Februárii, anno Christi tercentésimo décimo sexto.

R. Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. x. c

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum persequéntur vos in

civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Episcopi.

In Apolog. de fuga sua ante medium.

IN lege præcéptum erat ut constitueréntur civitates refugiórum, ut qui quomocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud ipsum Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, ínquiens, persecúti fúerint in civitate ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis illam abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem Prophétam, consistentem in loco sancto (qui legit, intélligat), tunc, qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descendat tollere áliquíd de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tollere túnicam suam.

R. Coróna áurea super caput ejus, * Exprésa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitúdinis. *V.* Quóniam prævenísti

eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Expressa.

Lectio viij.

HÆC cum scirent sancti, ejusmodi tenuerunt suæ conversationis institutum. Quæ enim nunc præcepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis : et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jussit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quaereretur, quemadmodum et nos, abscondere se; et, cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare: cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro se ipsum tradidit insidiantibus.

℞. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit : * Qui minas iudicium non timuit, nec terræ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cælestia regna pervenit. ℞. Justum deduxit Dominus per vias rectas,

et ostendit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

AT vero sancti homines, cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent (ab ipso enim et antea et semper omnes docebantur) adversus persecutores, ut legitime certarent, fugiebant et ab illis quæsiti se abscondebant. Cum enim præstiti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent, nolabant insidiantibus se temere tradere; sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare et vivificare, potius in finem usque perseverabant, circumventes, ut ait Apostolus, in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terræ latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset. Te Deum. 20.

DIE IV. FEBRUARII.

**B. Joannæ Valesiæ
nec Virginis nec Martyris.**

Duplex.

**Omnia de Communi non
Virg. [144] præter seq.**

Oratio.

DEus, qui ad imitandum beatæ Virginis Filii tui Genitricis virtutes, novum per beatam Joannam sacrarum virginum cœtum institui voluisti : ejus meritis precibusque concede ; ut per eadem gradiamur virtutum exempla. Per eundem Dominum.

**Comm. Feriæ in Quadr.
In j. Nocturno, Lektionen
de Scriptura occurrente. In Quadrage. Lect.
Mulierem fortem. [148]**

In II. Nocturno.**Lectio I.**

Uoanna Valésia, Ludovici undécimi Galliarum regis filia, a teneris annis in omnem pietatem instituta, ac propensa, non obscuris futuræ sanctitatis indicibus continuo claruit. Quinquennis, ferventissimis precibus Deiparam Virginem, quam semper mirifice coluit, exoranti, ut quo ei placere magis posset obséquio, signifi-

caret, prænuntiari sibi visa est, fore aliquando, ut novum sacrarum virginum ordinem in ejusdem Deiparæ honorem institueret. Ludovico Aurelianensium duci invite nupta, summam in prosperis moderationem exhibuit, atque in adversis constantiam. Ipso postea in Galliarum regem assumpto, ac nullo et irritato per apostolicam sedem eo declarato conjugio, id non solum æquissimo animo tulit, sed gravi se vinculo solutam prædicans, liberior deinceps uni Deo famulari posse gratulata est.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℞. Spécie tua et pulchritudine tua, inténde, prospere procede, et regna. — Et deducet.

Lectio II.

Bituricensis ducatus sibi a Ludovico rege assignatus reditus, alendis pauperibus, curandis ægrotis, ædificandisque monasteriis profuse erogabat. In eam vero curam præsertim incubuit, ut sacrarum virginum cœ-

tum sub nómine Annuntiatiónis beátæ Virgini Mariæ, quibus ejúsdem virtútes, certis régulis ab Alexandro sexto approbátis, essent ad imitándum propósitæ, institúeret, ac promovéret, quod ei feliciter cessit. Egénos ac míseros omnes ad se confugiéntes matérnæ caritátis complectebátur viscéribus : agrótos in primis, quorum úlcera et sániem própriis máribus térgere et contrectáre non refugiebat, restitúta non semel eo contactu iúsdem sanitate.

✠. Dilexisti justítiam, et odísti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. ✠. Propter veritatem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Propterea.

Lectio vij.

Singulári, atque exímia erga sanctíssimum Eucharistiæ sacraméntum pietate ferebátur : ad quod tanta accedebat lacrymárum vi, ut ejúsdem caritátis ac devotiónis sensus in astántium ánimis excitáret. Dominicæ quoque passiónis mystéria pari recolébat affectu. Quare constructo intra

domésticum hortum Christi sepúlcro, ibi secedebat idéntidem nudum pectus lápide tundens, atque in preces et lácrymas júgiter effúsa. Vitæ demum innocentissime actæ finem quadragenária præsentens, sacris ómnibus cristiánæ religiónis mystériis rite piéque susceptis, pridie Nonas Februárii Bitúrici decéssit, anno millésimo quingentésimo quinto. Ejus corpus quinquagésimo séptimo post óbitum anno incorruptum repertum, dum ab hæreticis militibus ad cremándum raperétur, gémitus edidisse et mucrone transfixum copioso sanguine manasse perhibetur. Ejus cultum Benedictus decimus quartus apostólica auctoritate probávit anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo. Tandem Pius sextus, ut in toto Gállia regno possit de beáta Joánna Valésia, anniversária ejus dormitiónis die, Officium recitari, ac Missa celebrári de Communi nec Virgini nec Mátyris indúlsit, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quin-

to, die vero Aprílis vigésimo.

✠. Fallax grátia. [153]
In ij. Nocturno, Homilia. Cælórum regnum. de Communi. [155]

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.

DIE V. FEBRUARII.

SS. XXVI. Martyrum Japonensium.

Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart. [49] præter seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitatiónem per crucis supplicium primitias fidei apud Japoniæ gentes in sanctorum Mátyrum Petri Baptistæ, Pauli et sociórum sanguine dedicásti : concède quæsumus, ut quorum hódie solémnia cólimus, excitémur exémplicis. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Lect. Fratres, Debitóres. [53]

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Motíssimæ Japoniæ regiáni extrémis Orientalis Asiæ finibus sitæ, quæ diu

in ténebris et in umbra mortis séderat, sextodécimo salutis humanæ reparatæ sæculo cathólicæ veritátis lumen affúlsit. Magnus síquidem illic Indiárum Apóstolus sanctus Franciscus Xavérius Christum prædicans crucifixum, ádeo insígnem fidélium fundávit Ecclésiám, ut hisce in terris Apóstolórum témpora rediísse videréntur. Non illi étiam defuére Mátyres, qui fidei primitias sanguíne consecrárent. Eódem enim labente sæculo, cum Taicosáma Japonensium imperátor plúries minitátus fuisset, se Philippinas insulas in suam ditiónem redactúrum, cénsuit cathólicus Hispaniárum rex áliquos suæ natiónis religiósos viros in Japoniam mittere, régio legatórum múnere ornátos, ad pacem Taicosámæ suadendam. Huic óperi deléctus est frater Petrus Baptista, sacerdos ex órdine Minórum sancti Francisci strictióri observántiæ discalceatórum, morum sanctitate et doctrína insignis; cui álii dati sunt sócii ex eódem órdine. Qui omnes legatiónem hanc eo susce-

pérunt ánimo, ut inde occasiõnem arríperent Evangélium illis géntibus prædicandi, quia apostólica pollébant auctoritate ad fidem cathólicam apud Indos et Sínicã regna disseminãdam. Hi ad líttera Japoniãe appúlsi et suo múnere feliciter functi, ad religiõnis incrementum, in partem labóris áliis sóciis ascítis, ánimum suum convertérunt.

✠. Sancti tui Dómine mirãbile consecúti sunt iter, serviétes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediméto. ✠. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

Multis próinde xenochois, cœnóbiis et ecclésiis per diversa loca christiãno ritu excitãtis, ibique per triennium prædicatiõni, jejúniis, vigíliis, præcibus júgiter instãdo, atque egenórum et languéntium ærúmnis miro caritãtis ardóre subveniẽdo, et fidèles plúrimos in via salutis confirmã-

runt, et gentes innúmeras perduxére ad fidem. Qua de re grãviter commóti inánium deórum sacerdotés, imperatórem convéniunt eíque persuádent impérium diu incólume non futúrum, ni christiãnam religiõnem úndique gliscéntem a suis finibus propulsãdam curãret. Vano illo timóre percúsus imperátor, statim jussit religiósos viros tamquam majestãtis reos detinéri, dixitque in eos sentétiã crucis. Præter Petrum Baptistã et quinque sócios comprehénsi fuere Paulus Miki cum duóbus sóciis Japonénsibus ex Societate Jesu, nec non Tertiãrii quíndecim ex eódem ór-dine Minórum Japoné-ses, quorum álii catechismo, álii sacris officiis inserviébant, quibus duo in vinculis ministrãntes adáucti sunt; próindeque sex et viginti explétus est númerus.

✠. Vërbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. ✠. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. — Ut herédes.

Lectio vj.

Post diutúrnum cárce-ris squalórem fortissimi Christi athlétæ, extréma sinistræ auri parte in Meacénsi foro públice multãti, revíntis post tergum mánibus, vili in plaustro per vias primum hujus metrópolis, tum aliãrum Japoniãe úrbium sexcentórum milliãriórum itinere terréstri, quo ignominia et terror látius spargeréntur, summa hieme circumducúntur præéunte lictóre, ac sentétiã crucis in eos præferénte, quod vétitam a tyrãno Christi legem prædicãsent. Illud memória dignum in itinere accidit, ut adolescéti Japonénsi António álteri ex Tertiãriis paréntes occurrissent, eúmque blandítiis et lácrymis conaréntur addúcere ut Christo fidem fãleret, quibus constantissime óbstitit, afirmandum se terrénis ómnibus ac transitóriis despéctis únice Christo adhæsúrum, qui sibi ætérna et cœlestia repromísit; dein vestem qua operiebãtur eis restituit. Tandem Nangasáquium perducti crucibus affigúntur, quæ jam

in quodam colle quasi in Calvãrio paratæ erant; póstea in altum elãti, Christi fidem haud prædicãre cessãbant. Enituit quidem Paulus Miki, qui e triumpháli illa crucis cáthedra ad circumfúsam multitudinem pro christiãna religiõne perorãvit, illud palam sibi gratulãtus quod in cruce ut Christus Dóminus, eadé-que atque ille ætãte, suprénum expléret diem. Postrémo singuli ab imis latéribus ad húmeros binis lánceis transfíxi, victrices ánimas cœlo inserédas emisére. Suórum militum gloriósum certãmen váriis Deus condecorãre vóluit signis : quibus rite probãtis, Sacrórum Rítuum Congregãtio ad eórum canonizatiõnem quandocúmque deveniri posse decrevit. Interim Urbãnus octãvus Póntifex máximus, hábita hujus decreti relatiõne, de eisdem Martyribus útpote in Beatórum fastis ascriptis Officium et Missam quotãnnis recitãri et celebrãri indúlsit. Tandem divi-næ providétiæ consílio factum est, ut Pius nonus Póntifex máximus

hujusmodi iudicium ad exitum perduceret. Quare sacro Pentecostes die anni millésimi octingentésimi sexagésimi secúndi, magna et illústri purpuratorum Patrum et Episcoporum, qui ex ómnibus orbis cathólici pártibus ad protuenda Ecclésiæ et sedis apostólicæ jura convenerant, coróna circumdatus, eósdem Mártyres Sanctórum albo recensuit.

✠. Tamquam. [57]

In iij. Nocturno, Homilia. Advérte. de Communi ij. loco. [67]

DIE VI. FEBRUARII.

S. Hyacinthæ
de Mariscottis,
Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum [122] præter seq.

Oratio.

DEus, qui beatam Hyacintham Virginem tuam jugis mortificationis et caritatis victimam effecisti: ejus nobis exemplo et intercessione concede, ut peccata nostra deslere, et te semper diligere valeamus. Per Dóminum.

Comm. præced. et S. Dotheæ, Aña et ✠. ex

Laud. 684. post Commem. Feriæ in Quadrag.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Lect. De virginibus. [128]

In II. Nocturno.

Lectio II.



Yacintha, nóbilis virgo Romána, Marci Antónii de Mariscóttis, Vignanelli cómitis (quo in oppido nata est) et Octáviæ Ursínæ filia, a prima ætate divínæ protectiónis argumenta experiri cœpit, cum septennis jamjam in púteum prolapsúra, præsentí Dei beneficio serváta est. Vitérbium missa ad moniales sancti Bernardini, ut ab iis educarétur, ibi tertii órdinis sancti Francisci institútum adolescens suscepit, non ita tamen, ut sacra cum veste religiosos mores indúeret; pompis enim ac delíciis aliquándiu indúlsit, donec ex feбри decumbens, accíti ad se confessárii oportúna commonitióne percúlta, omni vanitáti núnium remisit. Itaque anteáctæ vitæ máculis pœnitentiæ sacraménto expiátis, in commúni triclinio in gēnua humíllime provóluta,

lácrymis se próluens, ac flagélló in se ipsam animadvértens, véniam a soróribus deprecáta est: tum ánnuam pecúniam, ac spléndidam atque superfluum supelléctilem, mundi ac sui contémptrix abdicávit: deinceps vero nudis pédibus, vel, cum morbus cógeret, subjécta sólea obtéctis, ac única tantúmmodo túnica conténta, eáque rudi, obsoleta, et in eleemósynam accépta, ac fune præcíncta, quoad vixit, incéssit.

✠. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. ✠. Spécie tua et pulchritúde tua, inténde, prospere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio II.

PRæter ásperum vestítum, cilicio, vigíliis, labóribus fracta, assiduísque jejúniis extenuáta, corpus étiam crebris verbéribus, ac spinárum manípulis lacerábat, adhíbito interdum altérius quoque monialis bráchio ad majórem sui córporis afflictatióne; quod ut magis magisque attéret, léctulo ex asséribus, solóque

vili strágulo instrúctó utebátur, ac pro pulvillo saxum adhibébat, quod in stramen ex obediéntia commutávit, in quo alterútro pede ad crucem in conspéctu pósitam, caténa alligáto, brevíssimum somnum capiébat. Ad hæc absínthium herbásque amaríssimas mándere, monialium úlcera, ac pannícula sánie madéntia exosculári non rénuit: scalas monastérii, onústa ingénti cruce, génibus ascéndere aliquando consuévit; nunc quoque urticas, nunc ceras liquátas, modo nivem et gláciem, modo álveos rigéntium aquárum ad maceratióne adhíbuit. Christi Dómini passióne, quam summópere venerabátur, apte a se excogitáta atrocissimárum pœnarum série imitári, in majóri hebdómada singulísque sextis fériis sólita fuit. Patiéntia in perferendis injúriis, christiána humilitas, virginális verecúndia, ac summa sedúlitas in novitiis, quibus præerat, ad perfectióne provehéndis, in ea mirífice eluxérunt. Animárum quoque zelo incénsa, plu-

res inimicitias sustulit, periclitantes puellas in tuto collocavit, plurimis ad meliorem frugem traductis; in proximorum salute procuranda, qua orationibus, qua voluntariis corporis cruciatibus, omni denique conatu jugiter incubuit.

R. Dilixisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vij.

Agrorum in nosocomis ac pauperum patrocinium, quamquam inops, omni studio suscipit, et ut iisdem succurreret, non solum propriis ipsa manibus laborabat, et quotidianum sibi victum subtrahēbat, frustulis panis contenta: sed moniales etiam ac matronas civitatis, virisque divites ad id operis alliciebat, atque, undequaque poterat, subsidia corrogabat: quinimo, ut quam pro egenis et invalidis sollicitudinem ostēderat, perpetuo firmaret, duas sodalitates, quæ eorundem curam gererent, institui curavit.

Erga sanctissimum Euchariæ sacramentum fuit vehementer affecta: cujus cultum ut in aliis quoque promovēret, ad illud frequenter per annum cum solēni pompa, quam Deo gratam fuisse nonnulla prodigia comprobaverunt, publicæ venerationi exponendum omnem operam adhibuit. Deiparam Virginem tam impense coluit, ut digna habita fuerit, quæ ejus apparitione recrearetur. Prophetiæ, contemplationis, lacrymarum dono, aliisque charismatibus floruit. Anno denique millésimo sexcentésimo quadragésimo, ætatis suæ quinquagésimo quinto inchoato, in cælum evocata est, cujus corpus in ecclesia sancti Bernardini Vitērbii colitur, eamque Benedictus decimus tertius meritis et miraculis clarum in beatarum, Pius vero septimus in sanctarum Virginum numerum retulerunt.

R. Afferentur. [133]

In *ij. Nocturno, Homilia.* Sæpe vos, fratres. *de Communi.* [136]

In *Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ; alias*

S. Dorotheæ Virginis et Martyris ut in Breviario, 683. et de ea fit Commemoratio in Laudibus: Añã et V. ex j. Vesperis, 681. post Commemorationem Feriæ in Quadragesima.

DIE XI. FEBRUARII.

Apparitionis

B. M. V. Immaculatæ.

Duplex majus.

Offic. ut in Festis B. M. V. per Annum [191] præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Añã et Capitulum de Laudibus. [446]

Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]

V. Dignare. ibid.

Ad Magnif. Añã. Ista est columba mea, perfecta mea, immaculata mea.

Oratio.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: supplices a te quaesumus; ut ejusdem Virginis apparitionem celebrantes, salutem mentis et corporis consequamur. Per eundem Dominum.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invitator. Immaculatam Virginis Conceptionem celebrēmus, * Christum ejus Filium adorēmus Dominum. **Ps. Venite. 2.**

Hymnus.

TE dicimus præconio, Intacta Mater Numinis, Nostris benigna laudibus

Tuam repēde grātiā. Sontes Adami pōsteri, Infēcta proles gignimur, Labis patērnæ nēscia Tu sola, Virgo, crēderis. Caput draconis invidi Tu cōnteris vestigio, Et sola glōriam refers Intaminatæ originis.

O gentis humanæ decus

Quæ tollis Hevæ opprobrium,

Tu nos tuere supplices, Tu nos labantes erige.

Serpentis antiqui potens Astus retunde et impetus,

Ut Cœlitum perennibus Per te fruamur gaudiis.

Jesu, tibi sit glōria, Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, et almo Spiritu,

In sempiterna sæcula.

Amen.